



Nr. 14

19
1851

DISSERTATIO POSTERIOR
DE
**MELCHISEDECO,
CHRISTI TYPO,
IPSUM ANTITYPUM**

exhibens,

Quam

IN REGIA FRIDERICIANA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPTE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQUA,

Die IV. Augusti hujus M DCC XIII. anni

P R A E S I D E

JOACHIMO LANGIO,
SS. Theol. Prof. Ordin.
publicæ disquisitioni submittit
RESPONDENS

SAMUEL GOTTLIEB SCHLITTE,
AMFURTENSIS MAGDEBURGICUS,
S. S. THEOL. CULT.

at.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



DISSERTATIONIS POSTERIORIS,
DE
**MELCHISEDECO ANTITY-
PICO,**
SECTIO PRIMA

DE
OFFICIO CHRISTI SACERDOTALI,
PER MELCHISEDECI SACERDOTIUM
ADUMBRATO.

APHORISMUS I.

Christus est sacerdos DEI altissimi κατ' οὐ-

DEMONSTRATIO.

§. I.



Anc habemus præcipue in epistola
ad Hebræos, & quidem gemina ra-
tione: una, quando Salvator noster
in eadem nobis tanquam alter Mel-
chisedecus, respectu sacerdotii, de-
scribitur, vocatus εἰς Χριστὸν πατὴ τὴν
τάξιν Μελχισέδεκ, sacerdos princeps
secundum ordinem Melchisedeci c.

A 2

V,

DISSERTATIO POSTERIOR

4

V, 6, 10. VI, 20. VII, 1. seqq. altera, quando cum Aarone confertur, & eidem, uti & reliquis, hunc ordine excipientibus, facerdotibus Leviticis, iisque summis, cum infinita, qualis antitypum decebat, prærogativa præfertur. c. IV. V. VII. VIII. IX. X. Hinc vocatur *Apostolus & sacerdos princeps nostra confessionis* c. III, 1. item *ἀρχιεγερός μέγας, princeps ille sacerdos magnus, qui cælum ingressus est* c. IV, 14. item *sacerdos princeps sanctus, innoxius, impollutus, separatus a peccatoribus, & excelsior celis factus* c. VII, 26. *Sacerdos magnus super domum DEI* c. X, 21. Plura ejusmodi loca ex aliis scripturæ N. T. locis deinde occurrent.

§. II.

Ex Hebræo codice notabilis præ ceteris est locus Pf. CX, 4. ubi Christus dicitur כהן לעיל יְהוָה *sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedeci.* Quem locum de Christo agere, non solum res ipsa docet, & ex repetitis Apostolorum, uti & ipsius Christi, allegationibus constat; sed etiam ne ipsi quidem saniiores Judæi negare ausi sunt. Quo modo hoc etiam obmutescendo coram ipso Christo agnoverint ejus ἀντιλέγοντες, vide Marth. XXII, 43, 44. Reliquas ejus allegationes vide Marc. XII, 36. Luc. XX, 42, 43. Jo. XII, 34. Act. II, 34, 35. I. Cor. XV, 25. Hebr. I, 13. V, 6. VII, 17, 21. X, 13.

§. III.

Quam egregie ecclesia primorum seculorum purior, ad sacrarum litterarum ductum, de Melchizedeciano Christi facerdotio fenserit, unico nunc testimonio comprobatio, nimirum illo EPIPHANII, qui, de analogia Melchizedeci & Christi loquens, adverbus Hæref. Lib. II. n. 55. p. m. 471. *Manet, inquit, & assidue dona pro nobis offert; in primis cum semet ipsum obtulerit, ut perfectiore, vivaque, pro totius mundi salute, modata hostia veteris testamenti sacrificium aboleret; autōs ἵερον, autōs Σύμπα, autōs ἴερος, autōs*

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO. 5

ἀυτὸς θυσιαστής, ἀυτὸς Θεός, ἀυτὸς ἀνθρώπος, ἀυτὸς βασιλεὺς, ἀυτὸς δέχεσθεν, ἀυτὸς πρόβατον, ἀυτὸς ἄντοι, τὰ πάντα ἐν πᾶσιν υπερ ἡμῶν γενόμενος. ἵνα ἡμῖν ἔσῃ κατὰ πάντα τρόπον γένηται. καὶ τῆς ιερωσύνης ἀντεῖ τὸ ἀμετάσατον ὁδοπαίωμα εἰς τὰς αἰώνας ἀπεγγάσσονται π. τ. λ. Idem ipse victimam fuit, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse rex, ipse pontifex, ipse ovis, ipse agnus; adeoque omnia in omnibus propter nos est factus, ut modis omnibus nobis vita suppeteret, ac sacerdotii sui constantem & immutabilem firmitatem in sempiternum statueret &c.

APHORISMUS II.

Christus verus Melchisedek, sui ipsius immolatione opulentissimam *ἴνλογίαν* humano generi promeritus est.

DEMONSTRATIO.

§. I.

Quod Christus, verus sacerdos noster, seipsum, praeuerendæ gratiæ ac gloriæ caussa, pro nobis immolaverit, constat e luculenta, de morte ejus particula, historia; nec non ē *Ἱεροπνεῦστω* Apostolorum interpretatione: PAULLI in Epistola ad Hebreos passim, præcipue c IX. X. conf. Rom. III, 25. 2. Cor. V, 18. seqqv. Gal. II, 20. Eph. V, 2. PETRI 1. Pet I, 8, 19. II, 21, 24. JOAN-
NIS ep. 1. c. II, 1, 2. conf. Jel. LIII.

§. II.

Bona illa, quæ sacerdos noster nobis peperit, *ἴνλογία*, benedictionis, nomine appellari, tatis liquet e sequentibus locis Act. III, 26. Rom. XV, 29. Gal. III, 8, 9, 14. Eph. I, 3. 1. Pet. III, 9. conf. Jel. XI. IV, 3. Nec sua huic ap-

A 3 pel-

pellationi emphasis deest. Indicatur enim, tum ~~προστύχια~~^{προστύχη} dantis, tum abundantia donorum, que nobis per Christi benedictionem obtingunt: nimirum, beneficia gratiae & glorie ex inexhausto divitiarum divinarum thesauro singulari cum favore nobis quam cumulatissime conferri. Ubi promissio ἐνλογίας, Abrahamo facta, cum ejus complemento, quale nobis Isaacus antitypicus, Salvator noster, exhibuit, attenta mente contendenda est.

§. III.

Qui vero scire avert, quæ præcipua sint nomina ac genera istorum bonorum, ad considerationem Melchisedeci typici remittitur. Hic enim ἴερουνέος est rex justitiae ac rex pacis; qualis καὶ εἰρήνη, seu καὶ ἀληθεία, est Melchisedecus noster antitypicus; utpote qui sacrificio suo piaculari utrumque hoc bonum, JUSTITIAM ac PACEM, nobis acquisivit. Unde vocatur יְהוָה צְדָקָתָנוּ Domini, justitia nostra Jer. XXIII, 6, XXXIII, 16, I. Cor. I, 30. Item Pax nostra Eph. II, 14.

APHORISMUS III.

Christus benedictionem partam impertitur, ut sacerdos secundum ordinem Melchisedeci; sed non nisi illis tantum, qui sunt secundum ordinem Abrahami, h. e. non nisi credentibus, spiritualiter vincentibus, ipsique decimas solventibus.

DEMONSTRATIO.

§. I.

Quanta sit vis ac *ἐνέργεια* benedictionis, que a Melchisedeco nostro in regno gratiae dispensatur, ut eo nobis evidentius fiat, præmittenda hic est men-

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO.

7

mentio ἰύλογίας illius admirandæ, quam idem jam inde a mundo condito per universum naturæ regnum diffundit. Etenim Deus benedixisse dicitur mundo primo Gen. I, 22, 28. II, 3. h. e. eam illi virtutem & fœcunditatem indidisse, & jam insitam confirmasse, qua deinde in statu integro conservata posset perdurare, & esse perpetuum divinæ potentie, sapientie ac bonitatis, theatrum ac speculum. Et cum noster Melchisedek creationis & conservationis gloriam omnino participet, is omni jure dicitur huic universo benedixisse. Eadem ἰύλογίας potentiam ac benevolentiam in ipso ταπειώσας statu ipse exercuit per miraculosam panis multiplicationem cibatumque. Videmus itaque, Christi benedictionem, quam in regno naturæ exerit, non tam verbis constare, quam summis rerum ponderibus, ideoque esse efficacem, ut ipsa quasi efficacia sit. Sic uti τὸ dicere Christi, simpliciter positum, pro dicentis auctoritate, idem est ac διαμαρτυρεῖσθαι, δισχυρεῖσθαι, vehementer asseverare; ita, per egregiam harmoniam, τὸ benedicens ejus est benefacere.

§. II.

Jam si tanta vis fuit, atque adhuc est, illius ἰύλογίας Christi, qua regnum naturæ gaudet; longe maximam esse eam, qua regnum gratiæ fundatum est, beneque ordinatum atque exornatum efflorescit, facile liquet. Certe omne τὸ ζῆν, omnis vita, omnis prosperitas, omne incrementum, in spiritualibus est ab ipso: qui quando ex plenitudine sua nobis impertitur χάριν ἀντὶ χάριτος, Jo. I, 16. nobis benedicit, seu bonis spiritus nos cumulat Eph. I, 3. Quod quia Jacobus, morti vicinus, jam tum, pro ea, quæ tunc vigebat, salutis œconomia, secundum fidei sue mensuram, agnoverat, Angeli liberatoris sui, i. e. Messiae, benedictioni Josephum, ejusque filios, moriturus cum emphasi commendabat, iis, cum manu sua, nomine Domini ἰύλογίας gratia, solenniter imposito Genes. XLVIII, 15. seqq.

§. III.

8. DISSERTATIO POSTERIOR

§. III

Notandum vero nunc probe est, hujus Melchisedecianæ, seu sacerdotalis, benedictionis participem fieri neminem, nisi qui incedit secundum ordinem Abrahami, seu qui fidei ejus vestigiis infisit Rom. IV, 12. Nam sine fide Abrahamus a Deo nec *λύσως* alias, neque nunc per Melchisedecum, benedictionem accepit. Unde fide, tanquam haustro, instructus sit, necesse est, qui e Melchisedeco secundo, tanquam inexhausto fonte, *εὐλογίαν* vult hauirire. Fides vero hæc organica jam ipsa est benedictio, saltem *λογίας* initium accenditur.

Sed non nisi in via veræ abnegationis, quæ & Abrahamo calcanda fuit, nimirum fedes patrias certasque cum incertis, & quasi cum exilio, permutare jullo. In hac homo, sua spiritus paupertate demissæ cognita, redditur sitiens ac esuriens, & tanquam terra arida, spirituallis benedictionis, tanquam largæ pluviae, uti egentissima, sic etiam capax. Jes. XLIV, 3. Hac fidei fame sitique invitatus ad vivam vivæ ac perennis aquæ scaturiginem accedit, spirituque ditatus atque exhilaratus exsatiatur. Jes. LV, I, 2.

§. IV.

Jam ubicunque fides est, adeo victoria; siquidem hujus natura adeo victrix est, ut à Joanne vocetur ipsa *νίκη τῆς ιωάννου, victoria, quæ* jam inde a primo sui ortu mundum ita devicerit, ut eundem vincere nunquam definat. I. Jo. V, 4. Quod si mundus, totus in maligno positus, fide debellatur, certe plus præstat adversus hostes spirituales, quam in Abrahamo adversus externos quatuor, exigua manu feliciter devictos, præsttit. Obtenta vero victoria, subinde novus gratiæ, seu benedictionis, cumulus obtinetur, ita ut una alerius instrumentum sit, secundum illud Christi axioma: *Habent, ita ut bene usurpet, dabitur, ut abundet.* Matth. XIII, 12. & XXV, 29. Sic benedictio alia aliam provocat atque ornat, victoriam victoria compen-

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO.

pensans, seu identidem novas ad vincendum vires submi-
nistранs.

§. V.

Nec prætereundum hic est in applicatione, quod Abrahamus Melchisedeco decimas solverit ex omnibus, viætri illa expeditione acceptis, manubii. Etenim hoc ejus erga Deum, quem in Melchisedeci persona, aut potius officio, veneratus est, actu ἐυχαριστῶ, eorum, qui sacerdotali Messie benedictione beantur, ἐυχαριστῶ repræsentatam fuisse, quis dubitabit? Plus vero hic in antitypo deprehendas, quam in typo adumbratum fuit: siquidem benedicti Domini non aliquam sui partem ipsi consecrant, sed potius se totos, ita ut qua corpus, animam & spiritum, Dei sint plane ὀλόντης; 1. Thes. V, 23. Quandoquidem enim toti sumus Dei, non aliter reddimus Deo, quæ Dei sunt, quam si toti, quantulicunque sumus, ab ejus nutu unice pendeamus, & in nobis, quod ipsi sit ἀνυπότατος, nihil relinquatur. Conf. Rom. XII, 1, 2. 1. Cor. VI, 26.

§. VI.

Ex hac Melchisedecianæ ἐνλογίᾳ ratione, brevissime delineata, facile constare potest, quanta cum emphasi Christus etiam ratione benedictionis sacerdos noster appelletur. Superat vero infinitis modis in hoc ipso sacerdotii actu uti Melchisedecum, sic multo adhuc magis sacerdotes Aaronicos, quorum proprium erat, solenni populum benedictione impertiri. Num. VI, 24. seqqv. Sir. L, 22. Quod benedicendi jus, tanquam regale, ac majestate plenum, axioma, sibi esse proprium, Melchisedecus noster inter alia, paulo ante gloriosam ἀνάβασιν, quasi alterum Aaronom agens, solenni actu testatus est, quando discipulis suis, sublati super eos ad cœlum manibus, benedicendo ultimum in his terris vale dixisse legitur Luc. XXIV, 50. Summum vero is benedictionis pondus ac complementum conspicuum dabit, quando, ad ultimum judicium redux, male-

B

di-



10 DISSERTATIO POSTERIOR

ditione in impios devoluta: δεῦτε, inquiet, ὁ οὐλογημένος τὸ πατέρος μας, venite o benedicti patris mei & hereditario jure ad te regnum, iam ante mundum conditum vobis preparatum Matth. XXV, 34. Tunc impletum videbit universus orbis, quod olim, sub ingressum in terram Canaan, solenni benedictione, in monte Grisim facta, Deut. XXVII, 12. adumbratum fuit. Ceterum probe hic notandum est, ad benedictionem Christi sacerdotalem pertinere ea omnia, quae in sacris litteris de ejus, tanquam παραπλήσια, ad dextram Dei sedentis *advocatione & intercessione* leguntur. Vide Jes. LIII, 12, Rom. VIII, 34, 1. Joh. II, 1. Hebr. VII, 24, 25.

¶. T. A.

APHORISMUS IV.

Melchisedecus antitypicus, Christus, mundi salvator, sacerdotii sui fructu etiam perditissimos populos beat, eodem illos, praeter gentem Iudaicam, extremis hujus mundi temporibus amplissime beatus. Quo benedictio Melchisedeci inter alia respexit.

DEMONSTRATIO.

§. I.

Duo hic præmittenda sunt, e quibus tertium hoc, quod aphorismus habet, per se resultat: I. ultimahus mundi, seu temporum novi testamenti, periodo nomen regnumque Domini, salutari θεογνωσίᾳ per universum terrarum orbem in omnibus, qui sub iole sunt, populis amplificatum iri. Hoc assertum, respectu fundamenti fidei, quod nec constituit, nec labefactat, est quidem eiusmodi problema, de quo, salvo doctrinæ evangelicæ deposito-

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO. ii

posito, salvoque ecclesiastice concordiae vinculo, in utramque partem disquiri potest; per se tamen est firmissimum, permultis prophetarum oraculis innixum,

§. II.

Neque novum est, seu inauditum, sed per singulorum a Christo nato seculorum decursum, inter praecipuos ecclesiae doctores, confessores suos habuit. Sufficiat nobis nunc unus atque alter e Theologorum Evangelicorum, eorumque veteranorum, numero. B. NICOLAUS HUNNIUS in Epitome Credendorum p. 617. §. 928. futuræ mundi ~~rever-~~
~~et~~ præmittit concionem evangelii per universum mundum, cum Judæorum conversione conjunctam, B. JO. WINCKELMANNUS in Comment. in Luc. qui AEGIDIUS HUNNIUS operibus Exegeticis insertus est, ad verba Christi Luc. XVII, 24. inter alia idem his verbis confitetur: Nam sicut fulgur &c. Quærere aliquis potuisset, si non audiendi, nec scitandi sunt, qui dicent: ecce hic, ecce illic, ubi ergo Christus cum suo regno inveniendus fuerit? hic respondebit, futurum, ut evangelium subito inßar fulguris ex una mundi regione in aliam, atque adeo per universum mundum divulgetur, atque ibi etiam futurum sit regnum Christi. Id quod non tantum factum est post Christi in caelos adscensionem & occupationem regni sui gloriose, sed etiam fiet ante extremum ipsius gloriosum adventum post revelationem Christi; id quod etiam Apoc. XIV. testatum facit hysce verbis: Et vidi alterum angelum volantem per medium cœlum, habentem aeternum evangelium, ut evangelizaret habitantibus super terram, & omni genti & tribui & lingue & populo dicentem magna voce: timete Deum & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus &c.

§. III.

Qui plura scripturaræ loca hac de re desiderat, inter multa alia præcipue sequentia meditationi suæ potest sub-
sicere Jes. II, 2. seqqv. conf. c. XLIX, 18. seqqv. c. LIX, 19, 20.
B 2 c. LX,

DISSE^TRAT^O POSTERIOR

c. LX, 1. seqv. Mich. IV, 1. seqv. Zach. VIII, 20. seqv. Mal. I, 11. Psalm. XXII, 24. seqv. XLVII, 1. seqv. XC^{VIII}, 1. seqv. XCIX, 1. seqv. Rom. XI, 25, 26. Videantur hæc loca iusta expositione ad rem præsentem applicata in Systemate Controvers. Antibarb. P. IV. p. 691. seqq. Quod si vero super gentes reliquias evangelica Melchisedeci nostri benedictio aliquando quam largissime erit diffusa; inde facile liquet, fore quam certissime, ut non minus *τιλογίας* genti Judaicae obtingat: de quo convertendi Israelis mysterio sequentia loca præ ceteris expendi merentur Deut. XXX, 1. seqq. 2. Par. XV, 1. seqv. Jes. XI, 11. seqv. conf. c. XLIV, 13. seqv. Jer. XXX, 22. seqv. Ezech. XXXVI, 6. seqq. c. XXXVII, 15. seqv. Hof III, 3. seqv. Mich. IV, 1. seqv. Zach. XII, 9, 10. Rom. XI, 23. seqv. 2. Cor. III, 15, 16. quorum locorum genuinam interpretationem legas c. l. p. 646. seqv.

§. IV.

Affertum alterum est, divinam promissionem de benedictione in omnes gentes diffundenda, Abrahamo repetitis modis verbisque datam, pertinere non solum ad cœnomiæ evangelicæ initia mediumque cursum, sed etiam, immo præcipue, ad luculentiore ejus finem; seu, modo dictam regni ac nominis divini amplificationem futuram jam contineri, seu prædictam fuisse, in benedictionis promissione, Abrahamo facta. Id quod manifestum est ex illa Abrahami prærogativa, qua is fidei heros patris fidelium omnium nomine insignitus fuit: 2. e proprietate fidelium, qui, et si gentis Hebraicæ non sint, tamen filii Abrahami vocantur, si fidei ejus vestigiis insistant. Gal. III, 29. conf. Matth. III, 9. 3. ex ipsis promissionum verbis; utpote quibus *διαπόδην* omnes gentes per universum terrarum orbem in Christo, per Isaacum adumbrato, beande dicebantur, ita ut sermone ejus, præcipue spirituale, futurum esset innumerable. Gen. XII, 3. n. t. n.

§. V.

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO.

13

S. V.

Jam si adhuc futura restat insignis εὐλογία omnium gentium per universum terrarum orbem, & si eo collineavit aliquoties repetita benedictionis promissio, Abrahamo facta; inde per se emergit veritas aphorisni nostri quarti, qua Melchisedeci benedictio dicitur directa seu extensa fuisse usque ad conversionem omnium gentium, & inter has præcipue gentis Judaicæ. Illationis ratio hæc est, quia Melchisedecus i. Christum repræsentavit; utope qui in ipso certe fuit præsentissimus: 2. Abrahamo εὐλογία impertitus est, & ea promissionem de εὐλογίᾳ ipsi jam ante αὐτὸν a Deo datam, confirmavit. Quid? quod e Salem seu Jerusalem lux & justitia per terrarum orbem sub mundi finem diffundenda dicatur Jes. II, 2. seqq. Taceo, Melchisedecum fuisse nationis impiæ, & in hac sacerdotio suo fuisse functum, in indicium, cuius indolis populi essent futuri, quibus eventus benedictionis amplissimus aliquando largiendus esset.

APHORISMUS V.

Christus, ut sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, longe major est atque melior sacerdotibus Leviticis, longe præstantius & magnificientius sacerdotium natus. Hebr. VII.

DEMONSTRATIO.

Sacerdotes Levitici sejuncti erant a regno, uti reges a sacerdotio (vide exemplum Usiae, ob affectatam sacerdotii functionem poena lepræ affecti 2. Chron. XXVI, 16. seqq.). At Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, h.e. simul rex est, functus sacerdotio regali, & regno sacerdotali, justitiae pacisque rex atque sacerdos.

B;

Sa-

Sacerdotes Levitici non constituebantur, nisi essent γενεαλόγοι, seu genealogiam suam, inde ab Aarone iusta serie derivatam, demonstrare possent. Christus vero est

sacerdos ἀγενεαλόγος, ne quidem ortus e tribu Levi, sed e tribu Iudee: quemadmodum Melchisedecus ne quidem ad gentis Judaicæ stirpem pertinuit.

Sacerdotes Levitici, ratione genealogiae sue nati esse debebant patre sacerdore & matre, sacerdotis conjugi. Christus vero, sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, non tantum parentes sacerdotalis ordinis habuit nullos, sed etiam eminentissimo modo fuit ἀπάτως, nimirum respectu naturæ humanæ Luc. I, 35. nec non ἀμήτως, respectu divinæ Prov. XXX, 4; Apoc. I, 8.

Sacerdotes Levitici habebant initium & finem sacerdotii sui, seu antecessores ac successores, ita ut sacerdotium eorum esset παραβατον, & quasi ambulatorium; sed sacerdotium Christi est απαραβατον & perpetuum, utope & antecessorum & successorum expers; & æternum, ut ratione divini consilii, sic ratione fructus: quemadmodum Melchisedecus in sacerdotio suo plane fuit αδιάδοχος.

Sacerdotes Levitici εὐλογίαι impertiti sunt populo Judaeo. At Christus, alter Melchisedecus, illam uti generatim omnibus alius hominibus, sic speciatim ipsis etiam sacerdotibus impertitus est: quemadmodum eandem Melchisedecus imposuit Abrahamo, principi & sacerdoti, & per hunc, mystico respectu, omnibus Hebreis, & inter hos ipsis quoque sacerdotibus Leviticis, tanquam in lumbis ejus adhuc existentibus.

Sacerdotes Levitici decimas receperunt a populo. At Christus, sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, decimas accipit ab ipsis etiam sacerdotibus, eos, ad sacrificium suum piacularē & meritorium remissos, sibi in peculium poscens: quemadmodum Levitæ, quasi in iumi-

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO. 15

Iumbis Abrahami constituti, per hunc suo modo decimas solverunt Melchisedeco typico.

Sacerdotes Levitici vitæ suæ necessaria acceperunt a populo, variis donariis & esculentis ab eo refecti. At Christus, sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, ipsos sacerdotes, totumque populum, imo totum humanum genus, quantum in ipso est, reficit: quemadmodum Melchisedecus typicus Abrahamum, qui ipse sacerdos erat, ejusque exercitum, & in Abrahamo, secundum mysticum respectum, ipsius posteros, & inter hos præcipue stirpem Leviticam, epulis recreavit.

Notandum vero est de his, aliquis, quæ huc referri posse videntur, analogiæ membris, Melchisedecum confidari biferiam, vel, secundum naturam, ut hominem naturalem & filium Adami; vel, secundum œconomiam DEI, ut hominem mysticum ac typicum secundi Adami. Unde quicquid non deprehenditur in Melchisedeco, ut filio Adami, quærendum in eo, quatenus secundi Adami typum gesit; & quidquid typus non habuit, sed tantum modo imbecilliori adumbravit, sufficit, in Antitypo, Christo, perfectissime exhiberi.

APHORISMUS VI.

Sacerdotium Aaronicum cum sacerdotio Christi Melchisedeciano consistere haud potuit.

DEMONSTRATIO.

Hæc jam patet ex aphorismo præcedenti. Ut vero plus accipiat lucis atque roboris, paucis utriusque sacerdotij *douçârte* discrepancia delineanda erit. Unde simul summa sacerdotii Melchisedeciani, quale in Christo id deprehendimus, excellentia præ Levitico cognoscetur.

Sa-

16. DISSERTATIO POSTERIOR

Sacerdotes Levitici erant nudi homines: Christus est θεός. Et talis sacerdos, qui ipse Deus est, requiebatur, quandoquidem universæ conditæ potentia regnabat ne levissimi quidem peccati onus sustinere valet.

Levitici sacerdotes erant filii DEI secundum œconomiam; at Christus secundum naturam.

Sacerdotes Levitici erant plures, & simul, & temporis progressu: At Christus, in sacerdotio suo tantum unicus, est plane ἀδιάδοχος, sacerdotium habens ἀπαράθετον & æternum, unübergänglich und ewig.

Sacerdotes Levitici oleo materiali iniciati fuerunt. At Christus oleo spirituali, ipso Spiritu Sancto, eo sine mensura ad sacerdotium suum unctionis.

Sacerdotes Levitici constituti fuerunt sine divino jurejando: At Christus prævio eodem, vide Ps. CX, 4.

Sacerdotibus Leviticis munus conferebatur ab alio sacerdote: At Christus suum ab ipso DEO αὐτοῖς accepit, publica proclamatione in baptismo & glorioſa metamorphoſi Matth. III. & XVII. sacerdos, qui simul ut propheta quadriens esset, declaratus.

Sacerdotes Levitici, tanquam peccatores, etiam pro suis ipsorum peccatis victimas offerebant. At Christus, ut ἀρχιερεὺς ὁσιός, ἀπαντός, ἀμιαντός, κεκαρισμένός ἀπὸ τῶν αἰματωλῶν, Hebr. VII, 26, 27. nullus victimæ indigens, tantum pro alienis peccatis sacrificium obculit.

Sacerdotes Levitici pecudes immolarunt mortuas, sanguine pecudum alieno in sanctuarium ingressi. At Christus, semet ipsum pro nobis immolans, suo ipsius sanguine nos redemit. Hebr. IX, 12, 14.

Sacerdotes Levitici sanguine hircorum ac vitulorum alieno non poterant mundare pectora a reatu & dominio mortuorum operum; sed tantum adumbrabant veram mundationem, per fidem tanquam e longinquò adpli-can-

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO.

17

candam. At Christus sanguine suo nos ab omni peccato, ejusque & reatu & dominio, expurgat.

Sacerdotes Levitici sacrificabant saepius; At Christus semel, citra repetitionem Hebr. VII, 27. Rom. VI, 9, 10. Unde de sacrificio ejus valore judicari potest: quemadmodum frequentia actus sacrificiorum Leviticorum imbecillitatem & imperfectionem arguit.

Sacerdotes Levitici non nisi in tabernaculo, & post in templo intra Jerusalem, sacrificarunt: at Christus extra hanc urbem, templi, totiusque cultus Levitici, ruinam indicans.

Sacerdotes Levitici ingrediebantur in sanctuarium manus factum, in adyrum, quod, pro ratione elementarii ac temporalis cultus, fragile erat. At Christus, peracto sacrificio, ingressus est in tabernaculum *αὐτούς*, Hebr. VIII, 2. IX, 11, 24. Conf. c. VI, 19, 20. 2. Cor. V, 1.

Sacerdotes Levitici erant tantum nudi ministri. At Christus est ipse victimam, ipse altare, ipse sacerdos, isque id eo talis *καὶ ξόνη*.

Sacerdotes Levitici erant tantum ministri salutis adumbratae. At Christus est auctor salutis partae ac date, ac magis magisque conferenda. Hebr. V, 9, 10.

Sacerdotes Levitici benedictionem adhuc promerendam tantum pronunciabant, et si non sine efficacia: At Christus eam iam promeritam re vera confert.

Christus, verus Melchisedecus, rex justitiae, omnes subditos suos sacerdotes spirituales efficit, regale inter eos sacerdotium constituens I. Pet. II, 5, 9.

In morte summi sacerdotis, Christi, mystice exspiravit sacerdotium Leviticum, sepulchro cum ipso quasi illatum, ita ut inde sacerdotium spirituale effluerit.

C SECTIO

SECTIO II.

DE
OFFICIO CHRISTI REGIO, PER MEL-
CHISEDECIS REGNUM ADUM-
BRATO.

APHORISMUS I.

Christus est verus Rex, singulare cum em-
phasi talis.

DEMONSTRATIO.

§. I.

Regia Christi maiestas, regnumque ipsum, præter libros alios, præcipue in tribus propheticis libris describuntur, in Psalmis, Daniele & Apocalypsi. E libro קֶדֶשׁ מִזְרָחַת præ aliis huc pertinent psalmi sequentes II, 6. seqq. *Rex in monte Sion, qui ipse DEI filius, gentium heres & finium terræ possessor: Rex ferreae insignis seopro, in bustis suis gravis futurus: Rex ad cuius nutum in sanctiore disciplina omnes orbis reges converti debent.* Item Psalm. IX, XXII, 28, seqq. XXIV, 17. seqq. XLV, XLVII. nec non multi alii, præcipue a Ps. XCIII, usque ad C. nec non sub finem libri, XLV, 2, 3. &c.

§. II.

Ex Daniele huc pertinet egregia illa promissio de do-
mino celorum, regnum per universum terrarum orbem
erecturo c. II, 44. seqq. conf. c. VII, 13. seqq. Taceo multa
alia aliorum prophetarum testimonia, ab ipsis Judais de
regno Messiae exposita. Illud vero, quod prophetæ, tan-
quam

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO. 19

quam futurum, describunt, Joannea Apocalypsis exhibet in complemento, sed itidem maxima ex parte adhuc futuro, & regem & regnum ejus plane venerabili sermonis majestate describens; præcipue c. XIX, ubi Melchisedeci nostri, tanquam Regis regum & Domini dominorum, gloria in summo quasi fastigio collocata deprehenditur.

§. III.

Rex noster, eadem significationis ratione, etiam vocatur *heroς* Ps. XXIV, 8. נָגֵר *dux* Dan. IX, 25. Jef. LV, 4. שָׁרֵךְ *princeps* Jos. V, 14. Taceo reliquas hujus generis appellations. Quanta vero cum emphasi rex sit Melchisedecus noster antitypicus, præter ea, quæ in sequentibus aphorismis tradentur, vel ex eo constare potest satis superque, quod ipse creat, qui sceptro suo pareant, subditorum suorum auctor, ideoque jure eo majori rex eorum unicus. Unde subditos habet non per πορφυρίαν, uti reges hujus mundi, sed per παλγυνεσίαν, qui inde etiam ipsi in spirito regia gaudent dignitate, æterni regni confortes futuri, e regno crucis, (quæ olim non sine singulari DEI nutu regii nominis inscriptionem habuit: IESUS Nazarenus, Rex Iudeorum) ad regnum lucis translati. Ceterum de regno Christi conferantur loca Jef. IX, 7. Luc. I, 34, 35. XXII, 29, 30. Marc. I, 15, 16. Jo. XVII, 24. XVIII, 36. 2. Tim. IV, 18.

APHORISMUS II.

JESUS Christus est verus Melchisedek, rex justitiae.

DEMONSTRATIO.

§. I.

Splendidum hunc characterem Melchisedecus noster
C 2 sum-

DISSERTATIO POSTERIOR

summo jure, in subordinati sensus fœcunditate, gerit quadruplici respectu. Est enim rex justitiae 1. respectu naturæ, seu essentiæ suæ divinæ, quam cum Patre & Spiritu Sancto haber communem, adeoque justam, ut eminentissimo modo ipsa sit justitia ὑποστάσις, intelligens, æterna, omnis justitiae, quæ per regnum Dei se diffundit, fons ac scaturigo. Et ab hac justitia vocatur κατ' ἔξχν ο δίκαιος, justus, & ἡ ἁγιός, sanctus 1. Jo. II, 1, 20.

§. II.

Est rex justitiae 2. respectu naturæ humanæ, per infinitamunctionem ex hypotheticæ unionis fonte divinis ac infinitis dotibus ac perfectionibus nobilitatæ. Hinc totus Christus Ιεράρχων dicitur ἀρχιερεὺς ὅσιος, ἄρχος, ἀπολαύς, πολυμητρός, ἀπὸ τῶν ἀμαρτιῶν Hebr. VII, 26. sacerdos sanctissimus, cui nequaquam necessarium sit, seu fuerit, primum pro suis ipsis peccatis sacrificium offerre, deinde pro peccatis populi. Opus enim ipsi fuit justitia hac essentiali ac naturæ humanæ communicata, ut tanquam sacerdos injustitiam nostram expiaret, & ex iustis iustos efficeret, factus justitia nostra, coram DEO valens 2. Cor. V, 20. In quo sacerdotali justitiae officio omnino etiam regnum exercuit, regnum diaboli, quod mera est injustitia, destruendo.

§. III.

Est salvator noster Melchisedecus, rex justitiae 3. respectu donationis seu communicationis. Nam quia idem rex est ac sacerdos, dona, munere sacerdotali parta, secundum munus suum regium subditis, qui etiam regni confortes sunt, distribuit. Illorum vero complexus est in justitia, qua, tanquam veste munda, speciatim stola candida ac pretiosissima, subditos suos, quos fratum loco habet, mirifice exornat, exornatosque Patri suo coram foro justitiae sifit. Qui, in hoc habitu conspecti, illi non possunt non esse acceptissimi, dignique, qui, regiis beneficiis ac mi-

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO. 21

immunitatibus ditiati, in ipsum futuri regni, quod mera gloria florebit, confortium admittantur. Quam spem tam luculentæ hæreditatis vivam qui intra se agitant, eadem, ut, sub rege, qui ipsa est justitia, stipendia facientes, justitiae serviant vivantque unice ac perpetuo, suavi impulsu perducuntur. Conf. Luc. I, 74, 75. Rom. VI, 16, seqq.

§. IV.

Est tandem Melchisedecus noster rex justitiae 4. respectu *administrationis*, secundum quam justitia per vastissimum regnum longe lateque diffusa floret Ps. LXXXV, 10. seqq. jam quidem, sub regni gratia; cœconomia, aliena in justitia adhuc permixta, immo ejusdem fluctibus se penume-ro tantum non plane obruta, sed in regno, quod mera gloria erit, de injustitia omni triumphatura. Tunc complementum suum habebit perfectissimum illud Davidis de regno Christi effatum Ps. XLV, 7. שָׁבֵת מִשְׁרַת שָׁבֵת מֶלֶךְ צָבָא, βασιλεὺς σαλίμ, שָׁבֵת מִשְׁרַת שָׁבֵת מֶלֶךְ צָבָא, βασιλεὺς σαλίμ, Rex Salem, seu Jerusalem.

APHORISMUS III.

Melchisedecus noster est מלך שלם, βασιλεὺς σαλίμ, Rex Salem, seu Jerusalem.

DEMONSTRATIO.

§. I.

Dprehendimus hic Antitypum respectu ipsius loci. Nam uti Melchisedecus typicus regni sui sedem habuit in urbe Jerusalem; sic etiam antitypicus; & quidem jam tum ante ἱεράκων, erector in ea urbe sacerdotio plane regali, Θεουγασταῖς, quæ revera Χριστογεννα fuit,

C 3

DISSERTATIO POSTERIOR

fuit, habente. Hinc Ps. LXXVI, 3. dicitur in Schalem tabernaculum ejus, & habitaculum ejus in Zion. Est rex inunctus super Zion, montem divinae sanctitatis Ps. II, 6. Hoc per ἐνάρξασθαι in mundum venturo, Deus sic acclamat Zioni: *Exulta valde, o filia Zionis; clango, o filia Jerusalēm! ecce rex tuus venit tibi, iustus & salvator ille; misericors (tamen) & equitans super asino, & super pullo, filio asinorum.* De cuius propheticæ complemento vide Evangelistas, Matth. XXI, 5. Io. XII, 13. seqq.

S. II.

Terrestri vero, seu inferiori, Jerusalem respondet, immo certo respectu opposita est, cœlestis ac superior, quæ nostra omnium mater vocatur Gal. IV, 26. ea que libera, serva illa antiqua infinitis modis melior. Item civitas Dei vivensis, myriadibus angelorum iustorumque consummatorum inhabitata Hebr. XII, 22. Jerusalem e cœlo, a Deo descendens, & tantæ præstantiæ, ut nomen ejus non nisi vinceribus inscribatur Apoc. III, 12. Civitas sancta, nova Jerusalem, a Deo e cœlo demissa, ἡτοιμασθεῖσα ὡς νύμφη κοσμημένη τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς, parata, sicut sponsa ornata marito suo: qua demissa vox magna e cœlo personat: *Ecco tabernaculum Dei cum hominibus.* Apoc. XXI, 2, 3. Cujus Jerusalem nova quantum fururus sit splendor, quanta gloria atque maiestas, in ultimis Apocalypseos capitibus, nec non in locis prophetarum parallelis, pluribus descriptum legas. Hæc de Rege Salem respectu loci, civitatis Jerusalem; jam seorsum de eodem respectu status, voce Salem adumbrati.

APHO-

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO.

23

APHORISMUS IV.

Melchisedecus noster est **מֶלֶךְ בָּסִילֵעַ**, βασιλεὺς
εἰρήνης, Rex Pacis.

DEMONSTRATIO.

§. I.

Habemus hic interpretem ipsum Paulum, qui in Epistola ad Hebreos, nomine proprio, per interpretationem, in appellativum verbo, τὸν Μὲλշ σαλῆμ per vocem εἰρήνης explicat, innuens, Christum, alterum & eminentiorem Melchisedecum, Regem pacis esse. Bene SUIDAS de appellata urbis ratione: **Μελχισεδεκ ἀπόστολος πόλιν ἣν τῷ οὔτε τῷ λεγομένῳ Σιών ἐπωόμαστον αὐτὴν Σαλῆμ, ὅπου εἰρηνόπολις.** Messiam vero Regem Pacis fore, praedixerunt prophetæ, & inter hos precipue Jesaias, ipsum θαύμα ρῶ, pacis, pacis, inquam, cuius finis haud sit ullus, principem vocans: idem proclamavere angeli, nativitatis ejus praecones Luc. II, 14.

§. II.

Pax est fructus officii sacerdotalis, uti justitia. Unde non minus illam, quam hanc, donat ac conservat subditis suis pacis princeps, pax nostra, nos inter & Deum Eph. II, 14, 15. qui nobis, in viam pacis traduci, Luc. I, 79. pacem suam confert ac relinquit, nunquam auferendam, atque ita a pace illa bracteata, quibus hujus mundi regna ludunt, diversissimam Jo. XIV, 27. conf. c. XVI, 33. Qua quos per Evangelium pacis Eph. VI, 15. beat noster Salomo, noster Fridericus, illi magna cum parrhesia suum facere possint illud Pauli επιστολων: *Igitur justificati ex fide (h. e. Melchisedeci justicia dotati) εἰρήνην ἔχομεν πάντος τὸν Θεόν, pacem habemus apud Deum, per Melchisedecum, regem Sale-*men-

mensem, *Dominum nostrum Jesum Christum* Rom. V, 1.
Tales hujus regis subditi, qui & ipsi intra se regnum Dei
posident, regnum, justitia, pace ac gaudio in Spiritu sancto
florentissimum Rom. XIV, 17. & per pacem, tanquam prae-
sidium animi sui inexpugnabile, ad vitam æternam, æter-
næ & gloriose pacis hæreditatem, custodiuntur. Phil. IV, 7.

§. III.

Ex his facile colligi potest, quantum bonorum spir-
itualium thesaurum pax contineat. Et hunc ipsa vocis, &
Hebraicæ & Graecæ, emphasis indicat. Nam Hebreæ
בָּרְךָ, a בָּרֵךְ derivata, notat rei, de qua dicitur, in-
tegritatem & perfectionem, atque ita בָּרְךָ, pax, est bonum
completum, seu plurimorum bonorum, quæ ad inte-
gritatem ejus pertinent, σύνδεσμος, nexus completus, chri-
stianismi ὁλοκαγγέλιος notans. Graeca, εἰρήνη, εἰρήνη τὰ εἰς τὸ
πέρι, a connectendo in unum, dicta, habet nexus ac vin-
culum eorum, quæ alias disjuncta ac diffusa essent. Ne-
xus vero, quem pax efficit, geminus est; unus inter
Deum & homines, a parte Dei reconciliationis gratiam,
uti & omnis inimicitia, odio ac vindicta, absentiam, no-
tans, & nihil aliud, quam acquiescentia Dei in hominibus,
suavissimæ conjunctionis feedus constituens, variisque
communionis charismatis erga hominem abundans. A parte
hominum nexus ille supponit receptam regenerationis,
justificationis ac γόθεστας, gratiam, ac consistit in suavissi-
ma animi tranquillitate, fiduciæ, parrhesiæ, libertatis, ac
communionis cum Deo, plena. Alter pacis nexus est in-
ter ipsos homines, qui, supposito communione ταλιγγεστας,
qua nexus cum Deo initur, principio, in fraterna volun-
tatum ac studiorum consensione consistit. Jam si tantum
habet in recessu pax, Christusque est summus pacis prin-
ceps; liquet, salutationem Christi, qua, post suum in vitam
reditum, formula solenni: εἰρήνη ὑμῖν, pax vobis, discipu-
lis

DE MELCHISEDECO ANTITYPOICO.

25

Iis suis pacem adprecando contulit, interpretandam esse non e vulgari salutandi consuetudine, sed e Christi, Melchisedeci nostri, officio & affectu: quemadmodum apostoli postmodum, magistrum suum imitati, singulari cum gratia & pondere sub epistolarum initia pacis voto cœtus christianorum salutarunt.

APHORISMUS V.

Melchisedecus noster, Christus, extremis N. T. temporibus, *κατ' ἔξοχην* erit Rex Pacis in eccllesia sua, devicto Antichristo pace gavisura, tum gente Salemitana, seu Hebræa, tum reliquis populis in consortium ejus admissis.

DEMONSTRATIO.

§. I.

Cognitionem hic aphorismus habet cum aphorismo IV. sect. I. & tantam quidem, ut inde ejus veritas firmitasque per se refultet. Nam si Christus sacerdotii sui fructum, quo jam dudum omnes omnium nationum credentes beat, in futurum aliquando singulari cum emphasi in omnes populos, & inter hos præcipue in Judaicum, diffundet, uti supra probatum est; certe nec regno suo iisdem deerit; siquidem officiorum unum ab altero, regium a sacerdotali, plane inseparabile est; quemadmodum unum Melchisedecum antitypicum, eundemque & regem & sacerdotem, habemus.

§. II.

De regno hoc tot tamque luculenta prophetarum oracula extant, ut mirum sit, esse posse, qui hic dissentiat, ullum Ferendus tamen hic utrinque omnino est dissentius;

D

sus:

DISSERTATIO POSTERIOR

fus; isque eo fertur æquius, quo minus hæc materia, de ecclesiæ fatis agens, ipsum salutis fundamentum attingit. Conferantur hic denuo loca, quæ supra Sect. I. Aph. IV. nec non ex parte Sect. hujus II. Aphor. I. adducta sunt. Nullum vero bonum de eo prædicatur magnificentius, quam pax; cujus prærogativæ ratio peti potest ex aphorismo præcedenti, ubi pax descripta est, tanquam complexus bonorum fere omnium. Audiamus nunc locum unum atque alterum: Jef. II, 2, seqq. Fiet vero postremis temporibus: *stabilis erit mons Iehovæ, (evasurus) in caput montium, & clatus præ collibus: unde confluent ad eum omnes gentes.* Nam ibunt populi multi, dicentque: *agite, & ascendemus ad montem Iehovæ, ad dominum Dei Jacobi &c. contundent gladios suos in ligones, & hastas suas in culiros putatorios: non tollat gens contra gentem gladium, neque discent amplius bellum.* Eadem subinde repetita occurserunt aliis in locis, præcipue Mich. IV, 1, seqq. ubi additur: *se debit unusquisque sub vite sua, & sub fico sua, nullo terrene te. &c.* Agunt quidem haec loca de pace externa, sed interna illa, cuius externa fructus, & in qua itidem plurimorum bonorum cumulus est, omnino supposita, & haud obscure simul significata. Erit *pax*, ubi *gratia veritatem habebit obviam, pax, quæ in iustitiæ osculis herebit*, **ץְרָנָה וְלִשְׁוֹם** Psalm. LXXXV, 11. Bene CREGUTUS Revel. Arcan. de Melchised. p. 309. *Splendebit ecclesiæ christiana, (vere Jerusalem) gloria in fine seculorum, in Ju- deorum vocatione & gentilium plenitudine, post Babylonis & Antichristi excidium; quo tempore omnes gentes, earumque gloria, ad Christum regem (מלך שלם) adducentur.*

APHO-

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO.

27

APHORISMUS VI.

Christus, verus Melchisedecus, justitiæ ac pacis rex, subditos suos vñctores, qui in Abrahami vestigiis incedunt, regalibus epulis excipit ac recreat.

DEMONSTRATIO.

DE asserti hujus veritate jam constat ex antecedentibus. Etenim justitiæ ac pacis donatio quid est, nisi lautum animæ epulum? Confer inter alia de hoc Cant. V, 1. Prov. IX, 1-5. Ies. XLIV, 3, 4. LV, 1. Zach. XIII, 1. Matth. XI, 28. Joh. IV, 10. seqqv. VI. VII, 37, 38. quorum etiam sacræ cœntæ beneficia cum multis patribus non immerrit referas. Et cum ultra prægustum hic nihil obtineamus, gloriosus justitiæ ac pacis fructus, post reportam de ipsa morte vñctoriam, plenissimum epularum usum secum feret.

SECTIO III. AXIOMATICA,
EXHIBENS AXIOMATA, QUÆ EX
UNIVERSA TRACTATIONE DE MEL-
CHISEDECO RESULTANT.

MEMBRUM I.

De axiomatis diversi generis.

I.

Christus est totius Scripturæ sacræ nucleus, phosphorus, der Kern und Stern, medulla, centrum ac scopus; immo omnia in omnibus. Videmus hoc
D 2 spe-

DISSERTATIO POSTERIOR

speciatim in materia de Melchisedeco. Conferri hac de re possunt loca Psalm. XL, 8. Luc. XXIV, 26, 27. Jo. V, 9. Act. X, 43. &c. Notandum præterea hic est, Mosen a Christo incipere Gen. I. conf. Ioh. I, 1, 2, 3. & Malachiam eodem Veteris Test. scripturam obsignare c. IV. Eadem est ratio scriptorum Novi Foederis, utpote quibus itidem Christus est *a & w.* Nam Matthæus ab eo historiam suam inchoat, & in eodem desinit Joannes in Apocalypsi,

II. Typus historicus (secundum GLASSIUM Philol. Sacr. L. II. p. 318. seqqv.) est vel innatus vel illatus; & hic posterior porro vel oblatus, vel extortus. Ille probabilem analogia conjunctus est, cumque fidei analogia & re ipsa consentit. Hic vero omni fundamento destitutus, & a sensu litterali nimis discrepat, ad *ψυχωτικα* referendus. Hæc diversa typologia ratio optime illustrari potest exemplis, & præsenti materia desumitis. Nam typus *innatus* hic quis sit, adhuc duabus sectionibus consideravimus. *Illatus*, isque *oblatus* & analogicus, est in pia multorum patrum aliorumque doctorum sententia, qua Melchisedecus, Abrahamo panem ac vinum proferring, dicitur Christum in sacræ coenæ dispensatione representasse. Extortus vero typus est varius, præcipue in pontificio doctrinæ fermento: de quo videlicet Membr. II.

III. In analogia τῶν ἴσογεμίων καὶ ἀλληγοριών, seu in collatione typi & antitypi, supervacanea est nimia αξεπέπταις consecratio. Sufficit enim adumbratio quædam, modo obscurior, modo luculentior. Et quando etiam hæc defectu laborat multiplici, recurrentum est ad antitypum, in eoque subsistendum. Id quod uti alias, sic etiam speciatim in hoc tipo, probe est observandum.

IV. Ecclesia Christi, & in ea theologia, & ipsa quidem mystica, si genuina est, est Grammatica, seu subfido Grammatico eget, ita ut sine eo permultis in partibus nil valeat

&

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO. ²⁹

& proficiat. Videmus hoc in typologia de Melchis-
deco, ubi grammatica nominum proprietatum interpre-
tatio scopo Pauli inservit. Bene hanc in rem CHE-
MNITIUS LL. Theol. P. II. de Justificat. p. 549. Eccle-
sia tantum debet grammatica esse, & que a Spiritu San-
to tradita sunt, discere ex genuina significacione vocabu-
lorum, quibus in tradenda doctrina scriptura uitetur: ubi
addit, se ostensurum, neglectum veræ grammaticæ er-
rorum fontem ac originem fuisse. A quo egregio Che-
mniti asserto B. GLASSIUS Philologia sua sacra initia-
um facit, digno illud encomio ornans.

V. Sacerdotium Christi valet non solum antorsum, sed
etiam retrosum. Retrosum ratione decreti, promissio-
nis, adumbrationis atque efficacie in applicatione: an-
torsum effectuum seu fructuum ex actu semel
facto emergentium. Conf. Rom. XVI, 25. Eph. I, 4. Col.
I, 26. 2. Tim. I, 9. Tit. II, 2. 1. Pet. I, 20. Videmus hoc in
sacerdotio Melchisedeciano.

VI. Impia nonnullorum est opinio, Deum sacrificandi ri-
tum, a profanis gentibus mutuatum, Hebreo populo,
ad κανογηλιαν propendenti, per συγκεταθασιν, injun-
xit. Hac enim sententia nervus totius cultus & Le-
vitici, & ejus, qui sub patriarchis floruit, evertitur.
Aliud nos docet Melchisedecus, sacerdos Dei altissimi,
Noachicæ pietatis, ab ipso Deo & prescripta & appro-
baræ, vestigiis, ab ιδελοθεοτακia remotissimis, insistens.

VII. Quandoquidem sacerdotalis benedictio, eaque solen-
nior, non pronuntiabantur, nisi peracto sacrificio; no-
strum benedictionis desiderium ad cruentum Christi sa-
crificium, quo is se præcipue alterum Melchisedecum,
sacerdotem Dei altissimi, præstitit, remittitur.

VIII. Melchisedecus noster tanta cum ἵρεγγειa benedit,
ut ipsa etiam maledicta hostium vertat in εὐλογίαν. Quis
enim dubitabit, hostes devictos multa Abrahamo male-
dicta

DISSERTATIO POSTERIOR

dicta, si non aperte, tamen clanculum, ingessisse? sed his
ἐνλογία Melchisedeci virus omne demit. In Bileam
 quoniamodo conatus maledicendi conversi fuerint in be-
 nedictionem, & quidem itidem a Messia *ασάρια*, Israë-
 litici populi duce & præside, Num. XXII. & seqq. videas.

IX. Benedictio Melchisedeci nostri non tam verbis, quam
 rebus, plena est, rerum pondera exhibens, quemadmo-
 dum ejus maledictio suam reatui, seu reis, poenam re
 ipsa infert. Ut inter alia videmus e fico *ἀνάπτω*, ex
 imprecatione Christi confestim exarcente. Matth.XXI,
 19. Danda itaque opera nobis est, ut maledictione illa ulti-
 ma & solenni, qua *ἐνλογίας* osoribus æternum exitium
 decernetur, evitata, audire possimus lætissimum illud
 benedictionis decretum: *Δέστε οἱ ἐνλογημένοι τὸ πατρός*
υς, venite benedicti patris mei, Ἐκ hæreditario jure acci-
pie regnum, a condito mundo vobis præparatum Matth.
 XXV, 34, 41.

X. Maledicat frematq; impiorum cohors adversus Melchi-
 sedeci membra. Quid tum? fixum hic manet ac immo-
 tum illud Melchisedeci nostri, seu alterius Isaaci: *bene-*
dixi illi, Ἐκ benedictus erit. Gen. XXVII, 33.

XI. Ecclesia Christi erit æterna, hostium moliminibus su-
 perior, quia Melchisedecus noster æternus est sacerdos;
 qui vero talis esse non posset, nisi in ecclesia, si non mi-
 litante, tamen triumphante, & sacerdotii fructibus æ-
 ternum perfruente.

XII. Extra Christum quidem nulla est salus; non tamen
 existimandum est, Christi cognitionem & ecclesiam post
 diluvium ante legem ad unam alteramque familiam, aut
 gentem, restringendam esse. Contrarium enim depre-
 hendimus in Melchisedeco Cananæo & Chamita.

XIII. Melchisedeco nostro non solum decimas, sed etiam
 nos ippos totos debemus: quod debitum nostrum quo
 fide-

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO.

31

fidelius exsolvimus, eo plus *ἰνλογίας* ab eo impetramus; utpote que solutionis hujus fons est atque consequens.

XIV. Historia sacra non fert Memos criticos, utpote ultra horum circulos sapiens. Cujus rei exemplum habemus in commemoratione Melchisedeci. Hæc enim videri poterat justo brevius facta esse, quam conveniret tam illustri personæ, sacerdoti Dei altissimi, Abrahamo majoris. Sed Paulus hujus brevitatis rationem reddit, innuens, ei typicam subfuisse mysterii de Christo adumbrationem.

XV. Christus non solum Aaronicum, sed etiam Melchisedecianum, sacrificium inter alia in eo quoque quam longissime superat, quod omnes subditos suos, regni socios, immo & sacerdotes, constituit, regali inter eos sacerdotio erecto. Vid. I. Pet. II, 9. Apoc. I, 6. V. 10.

XVI. Melchisedecus omnibus regibus egregio est exemplo, nimirum ut sint reges justitiae, uti & sacerdotes, qui semet ipsos Deo totos consecrarent victimam vivam, Deoque placentem Rom. XII, 1, cultusque divini patroni sunt.

XVII. Quandoquidem Melchisedecus solum Christum proprie adumbravit, hic vero sacerdotium habet *ἀπαρτήσατος* & incommunicabile; cavendum est, ne Melchisedeciani sacerdotii ad christianismum applicatione iniqui simus in monadicum Christi sacerdotium & sacrificium.

XVIII. Eadem cautione opus est in applicatione sacerdotii Levitici. Etenim huic, in quantum cultui typico vacavit, non respondet ordo ministrorum verbi, seu Doctorum in ecclesia novi testamenti; sed, praeter Christum ipsum, generatim status omnium christianorum, qui ad sacerdotium spirituale Spiritu Sancto, spiritu *παλιγγενερας* & *ἰνοθεσιας*, inuncti sunt. Quod si analogiam quæsumus inter doctores ecclesie Judaicæ ac Christianæ, ad syn-

DISSERTATIO POSTERIOR

synagogas Judaicas recurrendum est, non vero ad templum Hierosolymitanum.

MEMBRUM II.

De Axiomatis, Pontificiorum παρεξημνείᾳ & φυιψδε- πυκολογίᾳ oppositis.

I.

Sacrificium Pontificiorum Missaticum, (de quo Concil. Trident. Sesl. XXII. c. i. BELLARM. Tom. III. L. I. c. 6. de missā. BECAN. manual. L. I. c. 10.) quod dicitur, e Melchisedeci exemplo, Abrahamo panem & vinum proferentis, probari nequit: et si PISTORIUS Hodget. p. 428. hoc argumentum existimet esse cœli ac terræ machina firmius. Nam

1. Τὸ ΝΨΩΠ non significat sacrificavit, sed generatim protrulit, ita accipiendum, ut substrata materia permittit. Hanc vero sacrificalem fuisse, frustra adseritur. Nec quidquam Deo dicitur obtulisse Rex Salem; sed potius Abrahamo, uti sermonis συνάθεσα habet. Aliud vero est, dici sacerdotem, aliud panem & vinum sacrificare.
2. Paulus in accommodatione typi ad antitypum docet, solum Christum respondere Melchisedeco, eumque non s̄p̄ius, sed semel tantum, semet ipsum obtulisse; nec ullos successores hac in parte reliquisse. Hebr. VII. VIII. IX. Ergo multis modis jam in antecessum destruxit commematum Pontificiorum.
3. Fac Melchisedecum sacrificasse panem & vinum: quid tum? quid hoc ad sacramentum sacræ cœnæ? Unde probabitur, etiam hoc sacrificium esse sacrificium enim & sacramentum differunt, ut dare & accipere:

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO.

33

cipere: in sacrificio Deus accipit ab homine: sed in sacramento Deus dat homini. Patres in partes votati non de sacrificio, sed de sacramento, loquuntur, per actum illum Melchisedeci adumbrato. AMBROS. L. IV. de sacram. c. 3, BASILIUS in Psalm. CX. aliisque. Optime sane CAIETANUS in h. l. *Nihil*, inquit, scribitur de sacrificio, seu oblatione, sed de extractione, seu prolatione, quam scribit Josephus factam esse adreficiendos viatores. Quod autem in vulgata editione subditur ut causa oblationis: erat ENIM sacerdos; in Ebreo non habetur, ut causa, sed ut separata particula.

4. Error hic pontificiorum nititur alio errore, nimirum eo, quo statuunt, sacerdotium Leviticum ad suum sacerdotum, quales habent, ordinem translatum esse. Id vero falsissimum est. Atque ita apud illos error error gignit. Bene CREGUTUS Revel. Arcan. p. 334. *Hec doctrina de sacerdotio Melchisedeci ut ostendit, omnia sacrificia Levitica & iorum sacerdotium veteris legis esse abrogatum, ita perspicue in sacerdotium Missaticum arietat. Cujus vanitatem & horrendam impietatem nos unico argumenio demonstratum imus, quod nobis instar multorum erit. Namque se daretur bujuscemodi sacerdotium in Novo Testamento & sacrificium Missaticum, in illo assignari posset aliquis sacerdos, aliqua victimâ, altare, ignis ad consumendam victimam, sacrificium ipsum, seu oculus sacrificandi: animal illorum assignari potest. Ergo nullum tale est sacerdotium in N. T. aut sacrificium Missaticum. Hoc probandum per partes: 1. Nullus assignari potest sacerdos. Nam qualis esset ipse sacerdos? & cuius τάξις? vel enim secundum Aaronis ordinem, vel secundum ordinem Melchisedeci. At cuium? non Aaronis: quia hoc sacerdotium est abrogatum, teste Paulo Hebr VII, 8. 9. &c. Non secundum ordinem Melchisedeci: nam illud sacerdotium fuit singulare, extraordinarium & sine successione. &c. Conf. CHEMNITII Exam. Conc. Trid. HUT-*

E

TE.



DISSERTATIO POSTERIOR

TERI Triumph. de regno Pontificio a p. 57. ad p. 151.
 GERHARD. Confess. Cathol. L. II. Art. 15. MEISNERI
 Philos. sobria P. II. Sect. I. c. 3. qv. 5. WALTHERI
 Officin. Bibl. p. m. 757. seqq. CHRIST. CHEMNIT.
 Quæst. in Gen. Disp. V. qv. 3.

II. Benedictio Pontificis Romani, quæ Apostolica dicitur, est apostatic; quandoquidem Melchisedecianæ ac Aaronicæ *euλογιας* dignitatem affectat, ejusdemque *ινέγγειαν* venditat. Nam quia pontifex non est sacerdos, nec Melchisedecianus, nec Aaronicus; benedictio ejus, modo dicto sensu accepta, commentum est. Quomodo quidam e purpuratis curie Romanæ senatoribus, qui cardinales vocari solent, nimurum CARAFA, PAULI IV. legatus, Lutetiam solita pompa ingressus, plebeculae, certatim in genua ad ipsius conspectum procumbenti & apostolicam benedictionem exspectanti, loco consuetæ formulæ, secreta murmuratione impia hæc verba ingeminaverit: quandoquidem *populus ille vult decipi, decipiatur*; vide apud THUANUM Histor. L. XVII. p. 481. Conf. CREGUTUM p. 365. seqq. qui, quam extiales furerint benedictiones papales familie Francorum Carolinæ, funestis fatorum in regno Galliæ exemplis probat.

III. Papa Romanus uti nec alter Melchisedecus, nec alter Aaron est, ita nullo jure exigit & accipit decimas, immo decimarum decimas, non a laicis solum, quos perperam vocant, sed etiam a sic dictis clericis. Hoc enim non solum est *ἰδαιζεν*, sed ipsos etiam simulacrorum cultores imitari; utpote apud quos diabolus, Dei simius, sacrificulos suos, ut Levitarum ritum uti in multis aliis partibus, sic etiam speciatim in exigendis decimis, suum facerent, adduxit.

IV. Papa Romanus, aliquæ episcopi papales, ad probandum, sibi & pontificatum & regnum, saltem episcopatum & principatum, deberi, atque ita in una persona utrumque officium, regium & sacerdotale, conjungi posse, frustra provocant ad exemplum Melchisedeci. Vide BELLARMIN. Tom. I. L. V. c. 9. Nam i. Melchisedecus Christum

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO.

35

Rum repræsentavit solum, non vero Antichristum, aut alium hominem. 2. Sacerdotium, quod Melchisedeciano & Aaronico respondet, in Pontificem Romanum caderet non potest, ut paulo ante probatum; regnum vero in ipsum, ut Petri successorem, (fitalis esset) cadere non debet; quandoquidem Christus Apostolis, aliisque doctribus, illud *ἀξιομνηστόν* reliquit: *Reges gentium dominansur illis, & potestatem super eas habentes, benefactores, eusegetas, Luth. gnädige Herren, vocantur: υἱοὶ δὲ ἡγεμόνων, VOS AUTEM NON SIC: sed major inter vos fiat sicut junior, & dux sicut ministrans.* Conf. Matth. XX, 25. seqq. 1. Pet. V, 3. Bene HEIDEGGERUS Histor. Patr. Tom. I. p. 65. Non amplius igitur Papa est successor Petri, sed Melchisedeci. Petrus enim fuit reuensis & pauper pescator, cui nullo negotio navim, pisces & rete, furari licuit. Atque Papa dives est, & regis gatzis abundat, quibus improbe partis non facile quamvis potentes reges eum exuent. Petrus nullis aliis praesidiis, quam potentia Spiritus Sancti & cælestis sapientiae nixus, evangelium predicavit, & tot mille non hereticos, sed infideles, convertit. At Papa ad coercendos & convertentdos hereticos regia potentia & opibus indiget. Petrus auro & argento non inhibebat. Papa aliena diripere, magnamque Italie partem improbis machinationibus subiudicare necessum habuit, ut se adversus hereticos defendaret. Cur ergo non magis Petrum imitatur papa, quam Melchisedecum? Item: Si reges gentium fuerunt simul sacerdotio insignes; si Ægyptio regi sine sacerdotio imperare non licuit; si apud Grecos, Athenienses maxime, summi magistratus sacra ordinarunt: retrahat pruriientes ad similem potentiam, vox illa Christi: VOS AUTEM NON SIC.

V. Papa Romanus, uti ex hac tenus dictis liquet, est Pseudo-Melchisedek, rex, non iustitiae, sed injustitiae; nec pacis, sed seditionum ac beliorum; rex Babylonis mystice; alter Nimrod, venator ac prædator animalium po-

DISSERTATIO POSTERIOR

tens coram Domino, vindices ejus oculos haud reformati
dans.

Not. A fermento aliquo pontificio prope absunt illi ex evangelicis interpretibus, qui non solum a sacerdotio Melchisedeci aliquanto incautius argumenta ducunt ad munus ministrorum ecclesie pastorale, sed etiam non dubitant, ex actu Abrahani, quo decimas solvit opimas Melchisedecum haud egenti, sed fatis opulento, probatum ire, verbi ministros etiam sub oeconomia Novi Testamenti usque ad redundanter bonorum affluentiam alendos esse. Et hac in parte aliquid humani passum deprehendimus insignem alias inter fratres theologum, cuius nomini, cum & apud me non in exiguo sit pretio, nunc parco. Res tamen ipsa, ne viri auctoritas veritati sit detrimento, paucis diluenda erit. Ille enim in Commentario in Epist. ad Hebr. in locis communibus ad Cap. VII, v. 2, inter alia haec habet, notis dialyticis hic adponenda:

*Ministerium Ecclesie dignum est mercede sua, non tantum vita familiæque sustentanda necessaria & sufficienti (hoc quidem verissimum est, et si præsenti materia resultat difficultas) sed etiam honorifica & abundantia (hoc ab indole evangelica alienum est. Nec enim dignitas ministerii spiritualis referenda est ad præmiorum temporalium abundantiam. Quid? quod hac ratione ministri, præter mercedem sibi ac suis sufficientem, etiam honorificam & abundantem postulare possent a grege suo, tanquam fibi debitam, &, nisi exhibeat, id ægre ferre & auditoribus *αχαγιστας* vitium exprobare? sed nonne sic plus quam mercenarios esse mus habituri?) Nam Abrahamus decimas dedit de omnibus *βολιis Melchisedecho, sacerdoti DEI altissimi,* (Hæc ratio est nulla; siquidem a sacerdotio Melchisedeci, ab Abrahamo per decimarum solutionem reverenter habiti, nequaquam valet consequentia ad verbi ministros nostros; utpote qui de jure non magis sacerdotium, quale in Evangelii indolem eadit, participant, quam generatim omnes alii Christi cultores, seu auditores ipsorum) qui procul dubio opus iis non habebat,*

DE MELCHISEDECO ANTITYPICO.

bebatur, cum rex non inter minimos & pauperes fuerit: atque adeo non indigentia Melchisedeci, sed honoris gratia. &c. Ejusdem sunt generis, quæ paulo post de legitima Levitarum abundantia & thesauris cum applicatione ad doctores N. T. dicuntur. Valeat applicatio ad necessaria usque, secundum mentem Pauli 1. Cor. IX, 13, 14: sed non ultra, si de jure sermo fit. Facti enim alia est ratio.

Item: In N. T. decimæ quidem non competit ministerio ecclesiastico de jure divino: ex decimis tamen sub V. T. praecpteris hoc necessarium morale sequitur, quod ministerium quoque N. T. non tantum pro necessitate, sed etiam honorifice alienum (hec aliendis ratio honorifica, quæ a necessaria sustentatione discrepat, & ita comparata est, uti porro ab Auctore describitur, indoli N. T. magnopere repugnat) & juri divino satis congruum existat, si ipse decimæ & aequivalens decimis merces ministerio assignentur atque solvantur. Quæ namque, quæso, ratio dari potest, cur ministerium N. T. minori mercede & honore dignum existimandum sit? (Prægnans sane, eaque gemina, hic dari potest ratio. Nam 1. totus ordo sacerdotalis V. T. Christum representavit, ejusque sacerdotium singularissimum, partim etiam mysticum illud, quod est in corpore ejus mystico, cuius omnes christiani, spiritu Dei uncti, membra sunt, non vero adumbravit verbi ministerium, quippe quod nec eguit adumbratione typica. Atque ita typus dignitatem suam habuit ex antitypo. 2. Terra Canaan data erat in universo populo ḏωδεκα Φύλων. Quia vero tribus Levi addicta erat operosisimo tabernaculi & templi ministerio, ut huic eo expeditius vacare posset, curis rei familiaris seu peculii exempta, illi dabantur decimæ in compensationem duodecimæ partis de terra Canaan, ipsi de jure debita. Hæc autem ratio plane exspirat, uti generatim in populo christiano, utpote cui melioris hereditatis fors cecidit; sic speciatim in ordine doctorum ecclesia:) Certe Apostolus noster 2. Cor. III, 8, 9, afferit, ministerium N. T. majorum habere gloriam, quam ministerium Veteris Testamenti: (Bene: sed spiritualiorem, uti integer Pauli sermo quam luculentissime docet,) Cur non potius, inquit, ministerium spiritus erit in gloria? nam si ministerium condemnationis in gloria fuit: multo magis abundant ministerium iustitia in gloria. (Secundum hanc hujus loci παραγγελίαν habebimus Theologos gloriae, non crucis; quos tamen crucis theologos solos pro genuinis Christus & ejus apostoli agnoverunt, Taceo, Paulum non de gloria mini-

38 DISSERTATIO POSTERIOR DE MELCH.

strorum, sed ipsius Evangelii, legi oppositi, loqui. Et sic, ejus participes fieri ministros. Certe quo majorem ejus, que tota spiritualis est, partem capiunt, eo minus gloriam externam bonorumq; temporalium affluentiam, curant, meliorum cure assueti, iis, que ministri ventris curant, στυθάλων loco habitis) Nec derogat juri, si ministri ecclesiae de falso paucioribus contenti sunt: (Nihil sane hic juris habent; nisi statuere velimus, illos mercenarii munericis jura habere. Factum vero ipserum, quando paucioribus, seu necessariis & sufficientibus, de quibus secundo est, contenti sunt, ipserum jus est; jus autem falso creditum mera in gregem injuria) Nam Apostolus gratias praedicavit postquam ipsi imprimitis Corinthis; neque tamen paulus est, id in prejudicium juris divini vel contra ipsum, vel contra alios ecclesias ministros, rapi & detorqueri. (Reste: sed in applicatione manifesta est confutatio eorum, que necessaria sunt, cum iis, qua abundant, & tanquam abundantia de jure deberi dicuntur. Hae veritatis caussi, salva venerandi auctoris existimatione. Quo exemplo moniti lectors, & praecipue Academici juvenes, discant etiam in magnorum virorum scriptis caute versari.

Ceterum in gratiam eorum, quibus oijum animusque est, cum hac tractatione de Melchisedeco, allorum quoque labores confundendi, praecipuum, quos quidem mea librorum suppellex mihi suppeditat, auctorum notitiam seu recensionem hic paucis subjiciam. Praeter interpres in Genesim c. XIV, Psalmos, Ps. CX. & epistolam ad Hebreos c. VII, ex instituto hoc argumentum tractarunt sequentes, & quidem nostrisibus:

MICH. WALTHERUS in Officina Bibl. Obseruat. XL. p. 745. seqq.
JO. CONR. DANNHAUERUS in Dissertat. Theol. e Gen. XIV. de Melchisedecho, reculta Argentorati 1687.

ÆGIDIUS STRAUCHIUS Dissertatione Theol. de Melchisedeco, in Gymnasio Gedanensi A. 1673. habita,

FRID. BECHMANNUS Dissertatione de Melchisedeco,

FRID. KOERBERUS in Melchisedeco, seu Discursu Philologico-Theologico de Melchisedeco. Hac & antecedens Dissertatio habetur in thesauri Theologico-Philologici, e nostris in Theologorum Disputationibus Amstelodami in diversa loca N. T. collecti, p. 729. seqq.
CHRISTIANUS HOFMANNUS in Dissert. Philologica de Melchisedeco, ex mente cumpromis scriptorum Orientalium delineato. Jena 1669.

AUG. PFEIFFERI Dubia Vexat. Loc. XXXVIII. (res)
E Theologorum Reformatorum numero hoc praeципue pertinent sequentia PETRUS CUNÆUS de Republ. Hebr. L. III. c. 3.

De hujus sententia conf. PETR. MOLINÆUM in Vate.

ANTONIUS GREGUTUS in Revelat. Arcan. cap. VII,

TAILORIUS in Christo revelato.

JO. H. HEIDEGGERUS in Historia Patriarch. Tom. II. Exercitat. II.

BIERMANNUS in Mose & Christo. (emergente,

HENRICUS HULSIUS in Melchisedeco una cum parente ex tenebris

JOHANNES d'OUTREIN in Dissertatione Philologico-Theologica de Melchisedeco Non-Henochio.

S D. G.

H Er seinem GOT hier lieb will seyn/
Der muß mit Samuel si in Küssen willig hören/
Um sich an SündenRüff der argen Welt nicht lehren/
Dis ist das Nördliche auf Edens/
Dis ist so Gott gefälscht allein/
Dhn bis man kein Gottlieb werden.
Da nun bisher mein werther Freund/
Dahin in Gottes Kraft sein Sojen ist gegangen/
Er auch nach mehrer Kraft und Gnade trage Verlangen;
So ist auch dieser Fleiß gesegnet
In GOT / ders mit ihm herlich meint/
Und Jom mit Lieb und Treu begegnet.
Daher wünsch ich von Herzen Grund
Dass er dem treuen GOT stets mid' ein Gottlich bleiben
So kan ich dis gewiss zu sein im Troste schreiben:
GOT wird mit Samuel Jhn rufen
Noch ferner zu dem Gnaden Bund/
Und endlich zu der Ehren Stufen.

JOHANNES BARTHOLOMÆUS PIETSCHIUS,
S.S. Theol. Cate. & Philos. Candidat.

SIc, Mi SCHLITT, monstras, quo sedulitas tua tendat,
Christum inclusum umbris ut reserare scias;
Discutiasque tenebras junctim mentis atroces,
Quas animo offudit perniciose lues.
Unde manent nebulae hos, mundi, qui castra sequuntur;
Lumine justicia nam radiisque carent. Sep. v. 6.
Alt facis tua dissipatio monstrat, AMICE,
Quod sit amor Jesus, primus que cura tibi.
Ergo progediaris in isto tramite recto,
Quem nobis sanctus precipit ille canon.
Ut facie intuere retecta Melchisedecum, 2. Cor. III, 18.
Ac alii velum sic removere queas. ib. v. 15.

ANDREAS HERMANNUS TESKE,
S.S. Theol. Stud.

Iustitia sacerum est sane & venerabile nomen:
Est igitur quoque rex iustitiae ipse sacer.
Sed qui iustitia rex verus? an ille, malignos
Qui vellet effectus distimulare suos?
Aut qui præcipites animi componere fluctus?
Et mentis motus scit cohibere sua?
Eniter haec speciosa quidem moderatio, veram
Gens ne tam versa lucis egena putet.

Fanc:

Hinc tot cernebat Stoicorum porticus olim
Reges justitiae fronte animoque graves.
Hinc quoque censoris gravitasque fidesque **Catoni**
Integritasque nove præmia laudis habet.
Sed quo jure? alii videant. Sententia menti
Hæc stat fixa mea, nec ruitura quidem:
Justitiam potius vitium crimenque putandum
Talem, quam vera simplicitatis opus.
Quid? scrutare vias animoque rependito agendi?
Principium, quales hoc? ambitione fuit?
Sic fuit, ambitio num vero crimen? & illud
Certum. Justitia hæc nonne proinde mala?
Non ergo ille statim, qui seit compescere motus,
Regis justitiae nomine dignus erit.
Verae justitiae rex est moderator & auctor
Lumen & exemplar Filius ipse Dei.
Hec, SCHLITTENI, igitur tanti miracula regis
Præside quod summo te preeunte, doces:
Non possum ceptis modo non applaudere, & ore
Jam simulac calamo fausta vovere tibi,
Faxit justitiae rex, Dissertatio ut hæcce
Arcana hæc pandens commoda multa feret,
Ille virum servet, cuius moderamine tantum
Tu defendis opus, protegat atque regat.
Tu vero sicut nunc enthea dona probasti,
Sic Deus ingenium roboret ipse tuum.

JOH. CONR. Bleydorn.
SS.Th.C. Hildesienfis.

O quantum prodeft, mysteria discere verbi!
Namque ea scrutando cernitur ipse Deus,
Sic aperit virüs se nobis ille salutis
Fons, ex quo manat dulcior unda mero.
Scriptura liber est, qui nos accedere Christum
Edocet, atque typos exhibuisse solet.
Jam Christi typus est hominum plantator Adamus,
Jam morens fñdat: jam pius agnus erat,
Aeneus & serpens, jam sacrificatio multa,
Jam Christi speciem Simson in orbe refert.
Ut reliquos taceam: Tibimet satis esse videtur,
Melchisedek Christi propofuisse typum.
Gratulor ex animo, Dominus tua copta secundet:
Omnibus & verbis anquat ipse Deus.

JOHANNES JACOBUS SCHROEDERUS,
SS. Theol. Cultus,

785225

ULB Halle
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

Magenta

Yellow

Green

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches

DISSERTATIO POSTERIOR
DE
MELCHISEDECO,
CHRISTI TYPO,
IPSUM ANTITYPUM
exhibens,
Quam

IN REGIA FRIDERICIANA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPЕ AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQUA,

Die IV. Augustii hujus M DCC XIII. anni

PRAESIDE

JOACHIMO LANGIO,

SS. Theol. Prof. Ordin.

publicæ disquisitioni submittit

RESPONDENS

SAMUEL GOTTLIEB SCHLITTE,

AMFURTENSIS MAGDEBURGICUS,

S.S. THEOL. CULT.

19
18
17

at.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

